



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instrvctio Novitiorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniæ, Anno M.D.C.XIII

De charitate, Cap. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48624)

citer agere, ac nouis progressibus inu-
lescere curent.

De Charitate.

Cap. IV.

1 **C**haritas filiorū Dei nota, quæ Hieru-
salem à Babylone discernit, est vir-
tus, quæ voluntas hæret Deo, propter
suis bonitatem.

2 Est virtutum omnium princeps, ac Do-
mina, quæ à Theologis forma virtutum
appellatur; quæ virtutes cæteræ, ipse
quoque Theologicæ, de quibus egimus
rude quiddam, & informe sunt: nisi pulche-
rima diuinæ Charitatis formâ decorentur.

3 Cum enim, hæc excellentissima vir-
tutis, sit vera Dei amicitia, necesse est quæ
quid eò non pertingit, deforme quiddam
esse: vtpote, cui desit purus ille cordis affectus,
qui non sua, sed quæ Dei sunt, sine
vllius proprii boni respectu perquirunt.

4 Ex quo fit, vt Charitas ipsa, more
quæ pullos suspendentis elata, cæterarum
virtutum actus, ad veri Solis aspectum
tollat; vt quod per se perferri nequiret
nobilissimam virtutis huius directionem
pertingant.

5 Quamobrem merito Apostolus
quæ

quasi virtutum, animæq; ipsius vitam miris laudibus effert, nec Angelorum linguas, nec prophetiam, nec virtutē miraculorum, nec eleemosynarum largitionem, nec ipsius etiam mortis tolerantiam, absente Charitate vllius pretij, vel meriti, quod ad eternitatem spectat, esse profiretur.

6 Charitas ergò, cum vita fit, ijs virtutibus, quæ ipsā comitatur, quasi tactu suo vitam impertiatur, eo certè affectu colli debet, quo ab hōinib⁹ vita solet exquiri.

7 Quod & ipse Iesus Christus Domin⁹ noster, qui eò se venisse fatetur, vt vitam homines abūdantius habeant, non obscure demonstrat, cum reliquarum virtutū, veluti oblitus, Hoc inquit, est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos: quasi diceret: Hoc vnum Charitatis, quā viuitur bonum exquirite, & ego me adeptum fuisse arbitrabor, quod præstiturus è cœlo descendi.

8 Hæc ipsius Iesu Christi præceptio mira, vniuersorum, & Apostolorum, & reliquorum Ecclesiæ Patrū cordibus ad eò impressa fuit, vt Charitatis encomia propemodum infinita protulerint.

9 Cæterum licet auctoritas Patrū nulla suppeteret: ipsa se Charitas incredibile decore, ac honestate præstat amabilem, ut ferreū oporteat esse hominē, qui pulchritudine tanta minimè capitur.

10 Candor enim formosissimus est, & diuina luce, virgineo quodam partu in cor hominis illapsus: cuius decor tam eximius est, ut sponsi thalamo censeatur idoneus.

11 Nihil enim creatum affectat: nullam porro laboris mercedem requirit: nullum malū nisi culpam timet, ac denique tam elegans forma est, ut quamuis fides, & spes deficient, nunquam excidat: quod nulla in se imperfectio, quæ statum celestis patriæ dedecet.

12 Nobilissimo certè pollet ingenio: sed, quāuis honesti laus minor est; ipsa perfectō boni vtilitas animos efficaciter inuitaret. Cū enim omninō legi Dei parendum, aut intereundum sit; quāto fit prudentius, dilectionem impensius colere, quæ custodia legum & plenitudo legis est: & actus qui minore lucro aliam exercendi sunt, auctiore lucro Charitatis obire? Verum est quippè, cumulatū meritū, p̄ mēsurā Charitatis singulis actibus

bus accrescere.

13. Iam verò virtus hæc cælestis, appo-
sitè ad mores hominum, illud etiã bo-
num insigniter præstat, vt ipsi deditos,
nò modo in actib⁹ singulis maiore me-
rito augeat, sed vberiore voluptate per-
fundat: Exploratum est quippè, amoris
actus delectabiliores esse, ac eo ipso, fa-
ciliores, ac diuturniores: expeditius. n.,
ac diutius vel ipso naturæ ductu insisti-
mus ijs, vnde voluptatem haurimus.

14. Cum ergò ex tot capitibus excellen-
tior sit illa Charitatis via, quã laudat A-
postolus pro captu suo, fratres nostri
virtutis huius officia conentur explere,
& initio cursus eniti, vt erga Clementis-
simum Deũ benè afficiantur; & ex af-
fectu, quicquid cogitandũ, loquendũ, a-
gendumue occurrit, exequantur.

15. Rectè quippè hoc primũ animo cõ-
cipere debent, (quæ est concors vniuer-
sorum Philosophorum, Theologorũq;
doctrina) quod vltimo loco successurũ
est: Finis enim, quòd ad actus spectat
humanos, est agendi principium.

16. Summũ igitur bonum, quò tendũt,
& cuius gratia, disciplinam claustrisui-

cipiunt, animo primum inculpant, eoque suos conatus omnes, sine defectione, collimēt: id enim ab eis repositum, quod in iustificationis actu ab vniuersis peccatoribus Deo exquirat, scilicet ut amor præcurrat ipsum contritionis actum, quod conuertuntur, ut finis amoris, in quem tendunt, sit vitæ salutaris initium.

17 Ut autem bonum illud immensum, quod totius amoris origo est, diligere incipiant rationes opportunas penitare debebunt, quas, ne aliorum capitum ordinem inuertamus, in tertiam capituli huius partem reijciemus; nam per rationes easdem, si quæ dæmonis tentamēta, vel appetitus sensitui luctæ, vel mundi blandimēta obstēt, strenuè se gerere discent. Nunc ergo aliquot Charitatis actuum exempla producimus.

Exemplum.

1 **C**haritas binos generat actus, alios amoris erga Deum, alios verò erga proximum.

Erga Deum actus erunt huiusmodi.
Dulcissime Deus oro te, ut cordis mei principatum geras,

Amantissime Domine, sacrifico tibi
præ-

præcordia mea.

Optatissimum bonum meum, absit,
vt aliquid amem, præter te.

Suauiissime Deus animæ meæ, te so-
lum quæro patrimonium meum.

Amabilissime auctor vitæ meæ: sa-
crifico tibi viscera mea.

Speciosissime supra ònẽ mundi pul-
chritudinẽ, vre me incedio decoris tui.

Serenissime Princeps cordis mei, tra-
he me post te.

Nolo Rex forma præstantissime ali-
am hæreditatem, nisi te-

Discedant à me, splendor illustrissime,
animæ meæ affectus omnes peregrini,
vt totis visceribus requiram te.

Viue Pontentissime Imperator cor-
dis mei; & dominare, sicut decet te.

Sede, excelsissime Domine, in æter-
na sede Maiestatis tuæ.

Benè est, opulentissime Deus, visce-
rum meorum: vt sis foelicissim⁹ intra te.

Placet mihi certè, sempiternæ Rex, vt re-
gnes in æternum, & vltra.

Vtinã, purissime splendor cordis mei,
possẽ subderet tibi ònia colla filiorú Adq̃
vt requirerët solã pulchritudinẽ tuam.

Vtinam, innumera millia cordium, quotquot tibi placuere, vel placere possunt, ipse possiderem, vt immensis tui desiderijs æstuarerem.

Da mihi, Dulcissime Deus, vt nihil mihi placeat, præter decorem tuum.

19 Actus hi, non solum vbi percipitur aliqua delectatio, verum vbi animus arescit, & videtur sibi operam perdere, sunt exercendi, iuxta commune sanctorum consiliũ: pars quippè hominis superior benè afficitur, quoties seriò Deo placere vult, licet appetitus renitatur: q̄ de alijs virtutũ actibus pariter asserim⁹.

20 At erga proximos, quos diligere nihil est aliud, quàm eis beatitudinem, & quæ ad illã spectant, seriò velle, sic charitatis actus exercendi sunt.

Vtinam, Clementissime Deus, peccato res resipiscant, & requirant te.

Fac, Domine benignissime, vt q̄ Ecclesiã oppugnât, se dedât Vicario tuo.

Per viscera misericordix tuæ obsecro te, vt qui terrenas dignitates ambiunt, potius aspirent ad te.

Conuertantur precor te, mitissime Deus, quos voluptas carnis illexit.

Fac

Fac amantissime Domine, vt auari omnes, affectum diuitiarum traducāt ad lucra delectationis tuæ.

Et in hunc modum, per innumeras formas possunt actus excurrere: solent autem hi actus feruentius produci, cum peculiare quippiam erga priuatas personas, vt lapsus in peccatum, morbus, infamia, persecutio, aut quid simile cōtingit.

21 Sed erga proximum qui obsequijs nostris egere potest, externi quoq; Charitatis actus obeundi, nō sanē absq; discrimine; nam intra claustrum ipsa Charitatis officia ad obedientiæ lineam exigenda sunt: at vbi per Superiorem licet, siue iniuncta, siue poscentibus concessa, debēt alacriter præstari.

Huc spectāt ægrotantium obsequia, lassorum famulatus, mœstorū consolatio, & eius generis alia, quæ vulgarissima sunt.

22 Verum quod ad actus spirituales Charitatis pertinet, gaudere aliorum bonis, mœrere malis, & pro eis precari fratres nostri debebunt, at erga cæterorum correptionem, eruditionem,

aliosque similes actus, non est Iuniorum fratrum quicquam attetare; sed si quid non rectum appareat, existimare, se decipi: aut si tentationem pellere nequeant, Superiorem conuenire.

Potissimum vero illorum ad proximi Charitatem studium esse debet, ut se aliorum moribus accommodent, quantum sine virtutis damno fieri valet, ac in semetipsis corrigant, quicquid ob deformitatem alijs displicere potest: deinde, ut aliorum errata vel deformia patienter ferat, nec sibi molesta esse significant: ex his enim partibus notatu dignissimis verus amor proximi componitur. Sed ad tertiã capitis partem veniam.

23 Non amor proximi tantum; sed totius œconomiae cordis humani ratio ex bono erga Deum pedit affectu: quo, quae in proximis amara sunt, condita dulcescunt, & aduersa tetamenta validè repelluntur: quapropter subiectis rationibus amoris Dei, primogenitum scilicet Charitatis partem fratres ediscant.

24 Nihil excogitari potest, quod ad amorem excitandum conferat; quod in Clementissimo Deo cumulatius, quam dici possit, non existat

existat. Sed vt è materia dicēdi tã vbere,
 quid appositũ feligamus; ad duo capita
 potest amor totus referri: ad personam
 scilicet, & ad actus. potest quippè quis a-
 mari ex eo, q̄ ipse est, aut ex eo, q̄ efficit.
 25 Euenire videlicet nonnunquã solet,
 vt principẽ aliquem, q̄ nobilitate, quòd
 pulchritudine, q̄ sapientia præstet, quis
 statim ac videt amare incipiat, cū tamẽ
 ab eo nihil propriæ vtilitatis expectet: è
 contrario verò, plebeium hominẽ de-
 formẽ, ac stultũ, q̄ ab eo cõmodũ speret
 consultò amet, : si verò in vnũ illũ prin-
 cipẽ cõmodi expectationẽ referamus,
 omnẽ amoris vim cõplexi videbimur.
 26 Cum ergò summus ille mundi prin-
 ceps, sit ipsa nobilitas, ipsa sapientia, ipsa
 pulchritudo: qua mēte quis, ex ijs præ-
 fertim, qui ad æternitatem aspirant, in
 amorem boni tam immensi non incũ-
 bat? Profectò nobilitas sola magnam
 orbis terrarum partem quasi demen-
 tat: nituntur quippè homines in se ne-
 scio quid diuinum exprimere, quod se
 nobilitate adepturos existimant: quæ
 certè ratio scriptorum antiquorum
 mendacijs asseritur: illi enim vt homi-
 nes

nes laudarent, quandam cum suis numinibus consanguinitatem eis affingebant: & (quod passim cernimus) in aulis frequētissimis quisquē studet Principibus nobilitate insignibus, velut cōtactu ingenuitatem cōtracturus adherere: quanto ergō consultius sit illud Regij Vatis desiderium: Adhæsit anima mea post te? Inde quippè vera nobilitas, seu generis claritas contrahitur, sicut scriptū est: Accedite ad eū, & illuminamini, hoc est, illustramini, vel nobilitamini; & facies vestrę non confundetur, id est, non erubescetis ob vllam ignobilitatis notā, quippè vtilitatē expungit antiquissima illa nobilitas principij expers, ille cādor purissim^o, illa celsitudo sublimissima, ad cui^{us} aspectum spirituum beatorum vertices, quasi humillime, valles, vix apparent.

27 Quid de sapientia dicemus? modica sapientię laus homines patriā pellit, & per longe disita maria, vastissimasquę solitudines abducit; sic ad vnum Salomonem Oriens totus hiabat: ad Platonem, & Aristotelē innumeri viri Clarissimi cōfluebant, & ex Ecclesię luminibus ipsi Patrū primores regna multa,
ea

ea de causa pererrârunt.

Cur ergò infinitæ illi sapientiæ sociari homo non curet, qui aliter sitim hâc ardentissimam explere non valet? Cur non familiaritatem tanti Præceptoris exquirat, qui momento temporis vno sapientiæ potum infundit? Non inquã sapientiæ illius, quæ hominem anxia speculatione debilitat: sed illius dulcissimæ sapientiæ, cuius impetus exhilarat Ciuitatem Dei: cuius dulcore nihil in terris potest esse optabilius.

28 At verò, quid de pulchritudine subdemus? Nemo ad eò mentis expertus est, qui formæ vim non sentiat. & admiretur: habet enim hoc insigne pulchritudo, vt vel solo nomine delectet: eiusq; sola opinio, nobilitatem ipsam, & sapientiam, nedum diuitias, aliaque minora bona despiciere faciat: q; & quotidiana, & nimiũ crebra experimēta declarant.

29 Habet magnetis vim efficacissimã: trahit enim, & voluptate trahit: & suauissimo quodã imperio cordibus dominatur: & hoc quidẽ præstat ipsa carnis pulchritudo corruptioni obnoxia, & mille deformitatibus admixta.

20 Cur

30 Cur ergò elegantissima forma Dei; cuius vel solo nomine videntur saxa liquefcere, nō capiat cor eius, q̄ abdicato decore sæculi, meliori vacat pulchritudini? Profectò solus ille candor, qui è Iesu Christi Seruatoris nostri corpore splendet, omnē orbis terrarum decorē longissimè vincit: quid animæ, quid absolutissima illa, & ad aliquāda corda efficacissima Diuinitatis pulchritudo? 31 At nos hic exiliter scribimus, & rei magnitudinem parcè dicendo contrahimus: sed fides maiora credit, in qua Charitas sublimi volatu se proripit.

32 Verum si de secundo amoris capite, hoc est, de ijs, quæ Clementissimus Deus cuiq̄ nostrum præstitit, ac præstaturus est, vbi Diuina bonitas plurimum elucet, pro rei dignitate scribendū esset, oporteret Iesum Christum ipsum, qui linguas infantium facit disertas, scriptoris munus obire.

33 Porrò, vt confertim dicamus: nulla feritas adeò sæua est, quæ beneficijs nō mitescat: nam & Leones, & Vrsos, beneficijs mansuescere, ac magistris blandiri quotidie videmus: quàm ergò vim cordi

cordi hominis tot, tantaque dulcissimi Dei beneficia, quæ fides docet, inferre deceat? Num parum est, hominem, qui sempiterno cruciatu inferni torquendus erat, non solum è tartaro ipso eruere, sed suavissime quoque eruere, & quasi Dei interesset, illum protegere, solari, ad statum salutis promouere, ad æternam beatitudinem filiorum iura conferre?

34 Nunquid parum est, hominem sæpe in peccata relapsum, qui diuinæ bonitati proteruè oblectatus est, cum iam nece subitanæ, ob ingratitudinem corripiendus erat, ad excelsum Monasticæ vitæ statum benignissime vocare?

35 Num parum est Deum hominem fieri, ac immensis laboribus, & ignominijs, pro ingratis peccatore mori, & æterno Patri satisfacere?

36 Nunquid parum est dulcissimo partu corporis, & sanguinis sui hominem paulo antè belluarum assuetum alere?

37 Quid hic de auxilijs gratis impensis, de Beatissimæ Virginis tutela, Angelorum custodia, Sanctorum precibus, de præseruatione à grauissimis casibus dicemus?

38 Quid de suavissimo Dei corde voluntati hominis exposito, & nisi homo illi desit,

desit, nunquã homini defuturo, & hæreditatẽ cœlestẽ fidelissime collaturo.
 39 Nemo est Christiani nomine dignus, qui per momenta singula liberalissimo Deo, ex multis beneficijs, non se cognoscit obnoxium; omnia quippè mala, seu culpæ, seu pœnæ, quæ vitat: omnia bona, quæ cogitat loquitur, efficit ipsa quoquẽ naturalis respiratio, beneficia Dei amplissima sunt, ex ipso potissimum largitoris corde perpensa.

40 Si ergò quocunq; se homo vertat, diuinorum beneficiorum pōdere premitur, & natuum est ei benefactorem redamare: quàm ferus erit, qui posita huius amoris cura, quasi Deo nihil deberet, aberrat? Aut quæ mens Religiosi illius erit, qui benefactori tanto gratiã habere, & quam possit, referre non studiosissimè curat?

42 Dent igitur operã fratres nostri diuinæ bonitatis amori; & impensissimo studio se totos amãtissimo Deo deuotes tã labores, quàm solatia filiorũ more suscipiant; & quidquid agẽdum occurrerit, culpã quamuis tenuissimã accuratissimè vitent; nec mercedẽ aliã, quam

quàm benefactori tanto placere, vlllo modo requirant: sic enim ex concepto Dei calore, omnia quoque charitatis officia proximis exactè præstabunt.

42. Si enim Dei amor, à quo amor proximi genus ducit, cordi semel hæserit, esto, proximus sit deformis, insolens, iracundus, importunus, rudis, & alijs vitiorum labibus notatus, quæ odiū parere solèt, nunquã Dei amatori ad proximi dilectionem ratio efficacissima deerit: Dei quippè bonitas, pulchritudo, mansuetudo, sapientia, & virtutes vniuersæ, quibus proximus fortassè caret, luculētissimè splendent, & propter illas proximus diligendus est. Quis enim unquam amavit, qui ob decorem, quo trahitur, labores, tædia, & iniucunda multa non tulerit?

43. Sed licet proximus non amabilis appetitui modò displiceat, rationi placere potest: est quippè (præter rationē illam à Dei decore, virtutibusque petitam) Dei filius, est æternæ beatitudinis capax, est Iesu Christi sanguine redemptus, est mihi ad exercitium, & meritum utilis, est fortassè is, à quo ex prædestinatione

natione æterna salus mea dependeat?
 Quibus certè rationibus duriora quæq;
 corda succumberent,

44 Vt enim ex vna reliquarum ener-
 gia se prodat, quis adeò sit insanus, vt
 proximum, què ad regnum sempiter-
 num prædestinatū existimat (quod in-
 ter nostros ex multis capitibus pruden-
 ter credit) odisse, aut lædere, aut certè
 nō amare possit? An corpus illud, quod
 caelos supergressurum, & ineffabili
 pulchritudine, ac luce in æternum, de-
 corandum est, mihi hoc speranti non
 placeat? Quomodo non ei arrideo, &
 sempiternæ pacis cum rege illo foedus
 inire festino?

45 At verò quāuis ratio nulla subesset,
 auctoritas tamē D. N. Iesu Christi aiētis:
 Hoc est præceptum meum, vt diligatis
 inuicem, sicut dilexi vos, omnipotens
 est: sicut dilexi vo, inquit, id est; Què-
 admodum ego Deus sapiens, magnus,
 decorus, vos homines, stultos, prauos,
 doformes per dolores, infamiā, & mor-
 tē amavi, sic mutuò & vos. Hoc est, filij
 Dei tamētū, cuius exortes, hæredita-
 tis expertes futuros esse, planissimū est.